



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Georgii Buchananani Paraphrasis, In quintum librum Psalmorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

GEORGII BV-  
CHANANI PARAPHRASIS, IN  
quintum librum Psalmorum.

PSAL. CVII. *Cantate Domino, quoniam  
bonus, &c. Carm. gen. 1.*

Cantemus Dominumq̄ bonum, facilemq̄  
parentem,  
Cuius habet nullas larga indulgentia metas.  
Hanc grato simul ore canāt quos dira tyrānis  
Quū premeret, s̄uo incolumes ex hoste rece-  
Et iuga captiuo excussit seruilis collo. (pit,  
Perq̄ feras gentes sparsos, quā surgit ab undis  
Et quā diuersas abiens se condit in undas  
Phœbus, ab arctoæ campis glacialibus ur̄sa  
Collegit, tepidōq̄ domū reuocauit ab Austro.  
Per steriles saltus & inhospita saxa uagantes,  
Quā nulla ad cultas ducunt uestigia terras,  
Fracti animos mærore, inopes undæq̄ cibiq̄,  
Auxilium miseris implorauere querelis:  
Audiit orantes, & opis miseratus egenos,  
Omnibus exsoluit mærentia pectora curis,  
Monstrauitq̄ uiam cultas quę ferret ad urbes.  
Ergo canant Dominumq̄ bonum, facilemq̄  
parentem,  
Et latè ignotis pandant facta inclyta terris:  
Quippe sitim uictuq̄ famem compescuit egrā,  
Reddidit & membris uires animoq̄ uigorem:  
Quique

*1. Miseri  
de p̄orig. ca.  
mitati ex  
at 1707.*

Quique Dei monitis ingrata mente relictis,  
 Carceris in tenebris & cæca nocte iacebant,  
 Quû tremeret gelidæ exanimes formidine mor-  
 Afflictisq; malis humiles fractisq; iacerent, (tis  
 Auxilium miseris implorauere querelis:  
 Audijt orantes, & opis miseratus egenos,  
 Omnibus exsoluit mærentia pectora curis.  
 Vincla manu ualida rupit, mortisq; timorem  
 Reppulit, & terris puidos eduxit ab umbris.  
 Ergo canant Dominumq; bonum facilemq;  
 parentem,

Et latè ignotis pandant facta inclyta terris,  
 Liminâq; & portæ qui claustra refregit ahencæ.

Delicijs animi uires quum stulta libido  
 Affligit, corpusq; graui languore solutum  
 Stultitiæ pendit pœnas, & morte propinqua  
 Reijciunt omne in fastidia marcida uictum,  
 Auxilium miseris qui implorauere querelis,  
 Aspicit orantes, & opis miseratus egenos,  
 Omnibus exsoluit mærentia pectora curis.  
 Ereptisq; suo leti de limine uerbo,  
 Restituit letumq; nouat per membra uigorem  
 Ergo canant Dominumq; bonum facilemq;  
 parentem,

Et latè ignotis pandant facta inclyta terris:  
 Et meritis cumulent memores altaria donis,  
 Et grata acceptam testentur uoce salutem.

Qui mare fluctisonum sulcat, curuisq; ca-  
 rinis

Admouet externas uaga per commercia gêtes  
 Non ignota illi diuina potentia, nec quæ

O iij

II. cap. 2.

III. 5. u. 1. 2.  
 3. m. 4.

III. In  
 mari periculi  
 tantus.

Monstrat in immenso miracula sepe profundo.  
 Quum iubet, irrumpunt uenti stridete procella:  
 Et mare nunc spumis candentibus astra laceffit,  
 Et nunc Tartarei subsidit ad ima barathri:  
 Pallent ora, metus trepidantia pectora pulsant,  
 Et uelut oppressis uino uestigia mutant:  
 Callida nec cani iuuat ars aut cura magistris:  
 At Dominum ut mæstis implorauere querelis,  
 Exaudit trepidos, & opis miseratur egenos.  
 Iam uenti ponunt, stratâq; æqualiter unda,  
 Arrident taciti tranquilla silentia ponti.  
 Iam posita leti gaudent formidine nauæ.  
 Ergo canant Dominumq; bonum facilemq;  
 parentem,  
 Et latè ignotis pandant facta inclyta terris.  
 Hunc populi cœtus laudat, sanctiq; tenatus  
 Cœcilium super astra ferat, qui flumina siccat,  
 Et riuos passim riuis bullantibus agros,  
 Fontibus oclusis sitienti damnat arena:  
 Et fœcunda, sui facta ob scelerata coloni,  
 Arua iubet falsis subitò sterile scere glebis.  
 At contra in sterili campo malè pinguis arena  
 Stare lacus, pinguesq; facit stagnare paludes:  
 Et fluuijs siccos riuisq; fugacibus agros  
 Irrigat, atq; inopi transmittit habere colono:  
 Quiq; nouas sanctis moderetur legibus urbes,  
 Et serobibus credat uites, & semina fuleis,  
 Vnde legat dulces maturo in tempore fructus,  
 Quos pater omnipotès alit, & prouetib<sup>9</sup> auget.  
 Assiduis pecorum fœtus. Vbi nescia rursus  
 Commoda fortunæ modicè mès ferre secunda.  
 Frena

V.  
 Sterilis a hem  
 soli perpesti.

VI. Tyrannide  
 eam se  
 trionibus op  
 p. r. r.

Frena dedit uitijs, retrahit sua munera iustus  
 Arbiter: indomitos animos & corda superba  
 Cladibus affligit: sæuis punire tyrannis  
 Tradit, & ignauo petulans sub principe uulg'  
 Contemptu, populis prædam iubet esse propin  
 quis.

Perq; inopes uictus terras traducit, ubi antè  
 Nulla hominũ tritam mōstrant uestigia callē.  
 Auertit mala pauperibusq;3, animiq;3 mōdestis,  
 Atq;3 hilares multa fœcundat prole penates.  
 Hæc spectāt gaudētq;3 boni: malè cōscia mustat  
 Turba metu. Ast animi quibus est solertia, cura  
 Assidua uoluūt, memoriq;3 hæc mēte recondūt,  
 Luceat ut cunctis Domini clementia terris.

PSAL. CVIII. *Paratum cor meum, Deus,  
 paratum cor meum, &c. Carm. gen. 2.*

**M**ENS infracta malis, animi uigor integer, or  
 Te uoce, rector, te celebrabit lyra. (bis  
 Eia age, depositis mens expergiscere curis:

Et tu canora barbitos cum nablijs.

Ocyus auroræ quàm Lucifer excitet ignes,  
 Aurora cantus quàm uolucrum exsuscitet,  
 Te pater alme canā: populos tua facta per o-  
 Quacunq;3 tellus pādatur, uates ferā. (mnes

Nam tua fiderei bonitas fastigia cæli,  
 Fidesq;3 tractus nubium superuolat.

O Deus augustum nitido caput exere cælo:  
 Ostende terris gloriæ iubar tuæ.

Eripiasq;3 tuos gelidi formidine leti  
 Præfens, & opifer inuocantes audias.

O iij

Audijt ex adytóq? Deus flammantis Olympi,  
 Vocem rependit gaudij prænunciam.  
 En tibi frugiferos Sichimæ dispertiar agros:  
 Vallem Sucothi metiar decempeda.  
 Nonne mihi parent Iacobi pignora, quisquis  
 Vel pecore tondet arua, uel uomere secat?  
 Oppida sub pedibus Syriæ calcabo superba,  
 Moabum, Idumen, & Palæstinas domos.  
 Quis mihi pādet iter munitas ductor ad arces?  
 Muros Idumes diuitis quis diruet?  
 Quis nisi tu nostræ gentis Deus unice tutor?  
 Qui nos premendos hostibus reliqueras,  
 Offensus uitijs prauis: nec in arma ruentes,  
 Nostros præibas dux, ut antè, exercitus.  
 Nunc pater auxilium rebus bonus adfer in ar-  
 ctis.  
 Humana fallax credulos spes decipit:  
 Te duce, uictrici decorati tempora lauro,  
 Pedibus prememus hostis arrogantiam.

PSAL. CIX. Deus laudem meam neta-  
 cueris, quia, &c. Carm. gen. 2.

**N**E fileas, ne dissimula mea gloria, nèue  
 Sine ueritatem supprimi mendacio.  
 Me scelerati oris fraus, & crudele uenenum,  
 Proterua fictis lingua me premit dolis.  
 In me odia occultis acuunt sermonibus iras,  
 Et immerenti fabricant molestiam.

17 **Q**ui mihi debebant fidum solamen amici,  
 Probra ingerebant clanculum & conuitia.  
Ast

Ast ego secretæ, tibi, qui penetrabilia mentis  
 Cernis, dolente corde fundebam preces.  
 Omnibus officijs culti mihi damna rependūt,  
 Remunerantur odio amorem simplicem.  
 Tu pater hūc sæuo uastandum trade tyranno:  
 Vastator illi ad dexteram astet Angelus.  
 Iudicis astiterit quum sordidus ante tribunal,  
 Damnatus aspris exeat sententijs.  
 Quum uolet iratos animos inflectere fando,  
 Oratione iudices exasperet.  
 Ante diem fato pereat præreptus acerbo:  
 Locumq̄ uacuum dominus occupet nou⁹:  
 Orba fleat soboles: uidua gemat uxor in aula:  
 Eiecta proles patrio exulet solo:  
 Instabilis, mendica, uagis erroribus orbem  
 Lustret: quietum reperiat nusquam locum.  
 Conturbetq̄ domum miseram, inscribatq̄ pe-  
 nates,  
 Scrutatus omnes fœnerator arculas.  
 Ignotusq̄ hæres longo congesta labore  
 Rapiat, opemq̄ nemo poscenti ferat:  
 Nullaq̄ progeniem miseratio subleuet orbam  
 Mors falce totam demetat semel domum:  
 Proxima gentē omnē cū nomine delcat ætas,  
 Apudq̄ Dominum, patris erratum, ut recēs  
 Ante oculos interq̄ manus uersetur & erret:  
 Nec uitia matris tollat ulla obliuio.  
 Utq̄ erat oblitus miserandi, obliuio gentem  
 Eius perenni supprimat silentio: (grum  
 Qui deiectū, inopem, & curis mordacibus æ-

Pertrahere mortis nixus est in retia.  
 Semper ei ueluti fuerat maledictio cordi,  
 Maledicta in illum & execratio cadent.  
 Ac ueluti studio fugit benedicere prauo,  
 Sic nullus illi cupiat aut dicat bene.  
 Nam uelut obtegitur talari corpus amictu,  
 Maledictione totus ille est obsitus,  
 Sic illi in cunctis affunditur intestinis  
 Ut oleum in ossa penetrat, unda in uiscera.  
 Hoc ergo incedat semper uestitus amictu:  
 Hæc zona lumbos cingat illi & ilia.  
 Ante Deum tales pendat detractio pœnas,  
 Et clam salutem quisquis oppugnat meam.  
 Alme pater, pater alme, tua me protege dextra  
 Et inuidorum libera calumnijs:  
 Ut nomen latus omne tuum telluris honoret,  
 Et suauitatem sentiat clementiæ.  
 Eripe me inuidiæ: sum pauper, egenus & expe  
 Animumq; curæ turbidum urunt anxia.  
 Non aliter pereo, species quàm futilis umbra,  
 Pallent tenebris fera quum crepuscula.  
 Aut ubi decussis solerti indagine ramis,  
 Locusta tectis pulsa frondeis cadit.  
 Genua labant infirma: artus ieiunia soluunt:  
 Exangue siccis corpus aret ossibus,  
 Me tumidi probris hostes petiére superbis:  
 Me conspicati capita quassarunt sua.  
 Adfer opem, seruumq; tuum, pater optime, serua  
 Pro lenitate semper assueta tibi.  
 Agnoscantq; tuam, rerum pater optime, dextrâ:  
 Tuaq;



Tuaq̄ saluum me sciant clementia.  
 Dū maledicta uomēt hostes, dū probra loquē.  
 Bonusq̄ placidusq̄ benedices tu mihi. (tur  
 Dum confusa illis turpis pudor ora notabit,  
 Lætitia serui pectus hilarabit tui.  
 Hos pudor, ut talos à uertice uestis ad imos  
 Effusa latè corpus omne contegit,  
 Hos pudor, & mærens turbato infamia uultu,  
 Qui me maligno dente rodunt, obruat,  
 Ast ego tū Domino grates memor ore sonabo,  
 Cœtuq̄ laudes in celebri concinam,  
 Qui stetit auxilio dexter cum paupere, uitāq̄  
 Eripuit eius hostium ludibrio.

PSAL. CX. Dixit Dominus Domino meo,  
 Sede à dextris meis, &c. Carm. gen. 3.

Sic alloquutus Dominus est Dominum meū,  
 Asside dexteram ad meam,  
 Dum proterendos, ceu scabellum, sub pedes  
 Hostes tibi prouoluero.  
 Ad orbis oras ultimas fascēs tuos  
 Alta ab Sione proferam:  
 Vt iuris æqui uinculis coërceas  
 Fastus rebelles hostiam.  
 Te pompa lætis quum reducet plausibus  
 Ad templa uoti compotem,  
 Sancto decorus apparatu exercitus  
 Lætum celebrabit diem.  
 Non roris imber ante lucem argenteus  
 Sic uestit arua gemmeo  
 Decore,

Decore,

Decore, ut omnes gentium fines tui  
 Beabit ortus nuntius.  
 Iuravit & se adstrinxit immutabili  
 Dominus sacramento tibi,  
 Tete futurum Melchisedecis sibi  
 Ritu sacrorum antistitem,  
 Sol inquieto lucis orbe dum diem,  
 Dum luna noctem illuminet.  
 Ad dexteram ille semper assistet tuam:  
 Ferro tyrannos uindice  
 Compescet: iram commodans suam tibi  
 Gentes rebelles comprimet.  
 Ducemq̄ regnis imperantem ditibus  
 Sternet solo: torrentibus  
 Latè per arua sanguinis riuis sitim  
 Victor leuabit igneam.  
 Ergo subactis hostibus, cælo caput  
 Tollet decorum gloria.

PSAL. CXI. *Confitebor tibi Domine in  
 toto corde meo, &c. Carm. gen. 4.*

**S**ine inter fidos tractem secreta sodales,  
 Seu sancti stipante caterua  
 Me populi loquar, alme parès, te pectore toto  
 Vsq̄ canam: tua munera grato  
 Ore feram. magna æternæ miracula dextræ:  
 Magna quidem, sed & inclyta certè,  
 Et manifesta bonis, studio scrutante fideli.  
 Quicquid enim gerit, omnia splendor,  
 Omnia diuina maiestas luce refulgens  
 Illustrat

Illustrat. dum sidera terras  
 Ignea lustrabunt, hunc iustum semper & equū  
 Sera agnoscent sæcla nepotum.  
 Nec quæ primæni quondam stupuere parètes  
 Attoniti, mirandaq; natis,  
 Inuida delebunt obliuia. parcere largus  
 Nempe parens, facilisq; querelis  
 Flectere cor miseris: spolijs ex hoste superbo  
 Direptis decorauit amicos.  
 Nec cum gente sua percussi fœderis illum  
 Immemorem ulla redarguet ætas.  
 Ostenditq; suas per facta illustria uires,  
 Quum populatus regna superba,  
 Dimensusq; nouis hostilia rura colonis,  
 Dilectæ dedit oppida genti.  
 Quicquid agit loquiturq; fides immobilis a-  
 Aequi & regula dirigit omnes. (Eius  
 Quæ iubet, æqua iubet, nulloq; interlita fuce,  
 Aut tacitam cælantia fraudem,  
 Quæq; nec æterno uoluentia sæcula lapsu  
 Interimant, aut tempore carpant,  
 Quippe astans fidei infractæ cōstantia & equū  
 Perpetuò rata iussa tuentur.  
 Quū premeret Pharij imperiū crudele tyranni  
 Selecta de gente nepotes,  
 Excussitq; iugum, & regis fera iussa superbi  
 Exiit: æternaq; beatis  
 Libertate frui donarat, pignora fera  
 Si iurata parentibus olim  
 Intemerata piæ seruassent fœdera Legis:  
 Fœdera nullis irrita sæclis.

Quippe

Quippe Dei sanctum est & formidabile nomē,  
 Ac sanctè sua pacta tuetur:  
 Exigit & duras uiolato fœdere pœnas.  
 Hunc colere ex animoq̄ uereri  
 Viuendi rectè fons & sapientia prima est.  
 Hanc cunctos qui dirigit actus  
 Ad metam, uerè sapit: hunc uentura nepotum  
 Semper dicent sæcla beatum.

PSAL. CXII. *Beatus uir qui timet Domi-  
 num: in mandatis eius, &c. Carm. gen. 3.*

**B**Eatus ille qui Deum rerum patrem  
 Pietate non ficta colit:  
 Deiq̄ gaudet legibus: mores suos  
 Formare ad illas nititur.  
 Latè per urbes diuites potentiam  
 Eius propago proferet.  
 Prolem piorum numinis benignitas  
 Larga beabit dextera.  
 Res affluenter suppetet semper domi  
 Illi: nec ætas longior  
 Obliterabit æquitatis gloriam  
 Fructumq̄. Quum premet malos  
 Fortuna, sæuo gestiens ludibrio  
 Mutare summis infima,  
 Benignitatis tum suæ iustis Deus  
 Lucem in tenebris offeret.  
 Clemens bonusq̄ in omnibus periculis  
 Stirpem piorum muniet.  
 Misertus inopis uir bonus, larga manu  
 Succur-

Succurret indigentia:

Sic cuncta iusto temperans examine,  
Nec uerba temere ut excidant.  
Non turbo sortis cuncta quatientis, loco  
Mouebit illum, nec dies  
Suprema famam condet eius inuida  
Obluij silentio.  
Non liuor illum falsa gaudens spargere  
Terrebit, aut calumnia:  
Bellisue rumor, aut egestas lurida,  
Fragorq; leti proximi:  
Sed mente firma prouocat discrimina,  
Deoq; solo nititur.  
Ceu cana rupes murmurantis æquoris  
Spernit minaces impetus:  
Sic ille certa interritus fiducia  
Sortis procellas sustinet:  
Ac sustinebit, dum ruinas hostium  
Saluus suorum aspexerit.  
Opes uolucris instar auræ mobiles  
Largitus est egentibus,  
Sibi æquitatis gloriam superstitem  
Seruauit: orbe gloriam  
Viuaciorem, nec senectæ dentibus  
Aeruginosæ obnoxiam.  
Dum laude clarum, req; lautum splendida  
Spectabit impius pium,  
Curæq; mentem uellicabunt anxia,  
Succumq; carpent corporis,  
Dentem fatigans dente ringetur, luc  
Se macerabit tabida.

Dominus

Dominus malorum uota ridet irrita,  
Spes ut modestas promouet.

PSAL. C X I I I . Laudate pueri Domi-  
num, laudate nomen Domini, &c.

*Carm. gen. 25.*

**P**Sallite Dominum pueri, Domini  
Nomen festo tollite cantu.  
Nomen Domini sit benedictum,  
Et sæclorum in sæcula longi  
Nulla obliuio sentiat æui.  
Primo à carcere solis Eoi  
Ad purpureos usq; Occasus,  
Omnes Domini nomen adorent,  
Qui gentes super arduus omnes  
Celsas ætheris incolit arces.  
Cuius longè gloria mundi  
Trans flammantia mœnia uecta est.  
O pietatis nescia ueræ  
Pectora: ritu sacra nefando  
O qui fingitis, anne deorum  
Quenquam Domino similem nostro  
Nostis? quem super ardua cæli  
Culmina positum nil latet imæ  
Sub caua clausum uiscera terræ,  
Nil humano procul aspectu  
Trans multiplices ætheris orbis:  
Inopem terræ qui prostratum  
Suscitat, & de puluere egenum

Tollit

Tollit, ut alto positus folio  
 Populi primos carpat honores.  
 Qui maternos sterili fructus  
 Exoratus donat, & orbos  
 Læta renouat prole penates.

PSAL. CXIII. In exitu Israel de Aegy-  
 pto, domus Iacob, &c. Carm. gen. 22.

Qum domus Ifacidûm patrias remearet  
 ad oras,  
 Barbaraq; inuisæ linqueret arua Phari,  
 Ipse Deus Iudam cælesti numine tutum  
 Fecit: erat populi signifer ipse sui. *diuidit*  
 Vidit & attonitas trepidû mare *diffidit* undas:  
 Iordanis refugas in caput egit aquas.  
 Læta per intonsos salierunt culmina montes,  
 Ut saturas gestit dux gregis inter oues:  
 Lætâq; frondentes mouere cacumina colles,  
 Agnus ut in pratis luxuriare solet.  
 Quid mare uidisti solito cur cesseris aluëo?  
 Cur fugis in fontes fluminis unda tuos?  
 Cur ita concusso salijstis uertice montes  
 Ut satur exultat dux gregis inter oues?  
 Cur ita frondenti salijstis uertice colles,  
 Agnus ut in pratis luxuriare solet?  
 Nempe Dei trepidum præsentia terruit orbem,  
 Cui cadit in Solymos uictima multa focos.  
 Qui lapidum uenas laticum laxauit in usum,  
 Cui fluxit largo flumine dura filex.

P

PSAL. CXV. *Non nobis Domine, non  
nobis, sed nomini tuo, &c. Carm. gen. 2.*

**T**E magne rector orbis, haud uictoriam  
Ex hoste saeuo poscimus,  
Nos ut per omnes fama gentes differat,  
Nec apparatu ut splendido  
Per ora uulgi nos triumphus aureo  
Curru superbos transferat:  
Sed impiorum ut saecla gentium sciant  
Te largum opis cultoribus  
Tuis, fideq; semper immutabili  
Promissa promptum soluere.  
Ne forte rebus insolentes prosperis,  
Vbi nunc Deus uester rogent.  
Deus astra noster incolens, mortalium  
Nutu suo res temperat.  
At impiarum finxit error gentium  
Manu deos inutiles:  
Aurum caninis excoquens, aut malleis  
Massa e sequaci bracteas  
Ducens, figura multiformi ludicra  
Affixit aris numina.  
Inane uocis os habent: oculos habent,  
Orbes inanes luminis.  
Naribus odores nec trahunt, nec auribus  
Surdus sonores hauriunt:  
Palpare manibus non queunt, torpentibus  
Nec ingredi uestigijs.

Nec



Nec uox anhelis edita è pulmonibus,  
Cauo recurrit gutture.  
Quicumq3 tales fingit aut colit deos,  
Dijs ipse similis fit suis.  
At tu Iacobi gens, loca fiduciam  
Omnem salutis in Deo,  
Qui te potenti subleuabit dextera,  
Et in periculis proteget.  
Et uos Aronis posteri, spem ponite  
Omnem salutis in Deo,  
Qui uos potenti subleuabit dextera,  
Et in periculis proteget:  
Quicumq3 cultor es Dei, fiduciam  
Loca salutis in Deo,  
Qui te potenti subleuabit dextera,  
Et in periculis proteget:  
Qui nos fauore semper amplexus memor  
Fouit fouetq3 sedulo:  
Cunctos Iacobi qui fouebit posteros,  
Aronis & sacrum genus.  
Qui se colentes siue iuuenes, seu senes,  
Fouebit & custodiet,  
Qui nosq3 donis semper augebit nouis,  
Et liberorum liberos.  
Nam nos profanis segregauit gentibus,  
Cæli soli q3 conditor.  
Cælum sibi ipse regiam fecit, solum  
Sedem dedit mortalibus.  
Remunerantes muneribus illum ut suis  
Rerum parentem agnoscerent.  
Neq3 ora laudes in tuas soluent, pater,

Quos mors teget silentio.  
 Nos te parentem agnoscimus, qui spiritu  
 Vitalis auræ uescimur.  
 Te prosequemur laudibus, dum lucido  
 Sol axe terras ambiat.

PSAL. CXVI. *Dilexi, quoniam exaudivit  
 Dominus uocem orationis meæ, &c.*  
*Carm. gen. 16.*

**T**Oto pectore diligam  
 Vnicè & Dominum colam,  
 Qui lenis mihi supplici  
 Non duram appulit aurem.  
 Aurem qui mihi supplici  
 Non duram dedit: hunc ego,  
 Donec pectora spiritus  
 Pullet, semper amabo.  
 Iam mors ante oculos erat,  
 Iam stabam super aggerem  
 Busti, iam dolor anxius  
 Omni ex parte premebat:  
 Expes tum prece supplice  
 Oraui Dominum, Pater,  
 Quælo, inquam, miserabili  
 Saltem consule uitæ.  
 O iustum Dominum & bonum,  
 Et pronum ueniæ: auxili  
 Is me & consilij indigum  
 Sæuo textit ab hoste.

Ergo

Ergo mens tibi reddita  
Mærorem cohibe: & Deus  
Quæ larga tribuit manu  
    Donis læta fruare.  
Vitam è faucibus eruit  
Mortis, & lacrymas genis  
Absterfit, stabili & pede  
    Firmauit tibi gressum.  
Tutus præsidio Dei  
Degam: & polliciti fide  
Fretus non dubia, canam  
    Grato pectore laudes.  
Lasus, rebus & asperis  
Afflictus, trepida fuga  
Vitæ prospiciens meæ,  
    Sic mecum ipse loquebar,  
Nulli certa homini fides:  
At rerum arbiter optimus,  
Vnus polliciti tenax,  
    Vnus fallere nescit.  
Tot liber toties malis,  
Tot auctus toties bonis,  
Quo tandem officio tibi  
    Coner soluere grates?  
Te festa dape, te prece,  
Te libamine prosequar:  
Te uitæ columen meæ  
    Grata uoce fatebor:  
Te uitæ columen meæ  
In cœtu populi tui  
Grata prosequar hostia,

Damnatus tibi uoti.  
 Electos, genitor, tuo  
 Custos præsidio regis,  
 Nec per uim pereuntium  
 Manes linquis inultos,  
 Tu seruum Dominus tuum,  
 Ancillæ sobolem tuæ  
 Me, minacibus hostium  
 Vinculis eripuisti.  
 Te rerum pater optime,  
 Semper laudibus efferam:  
 Nomen in dubijs tuum  
 Vsurpabo periculis.  
 Te uoti reus, erutus  
 Morti, prosequar hostia,  
 Sacri limen ad atrij,  
 Sacrę redditus urbi.

PSAL. CXVII. Laudate Dominum omnes  
 gentes, &c. Carm. gen. 10.

O Mnes ubiq; gentium  
 Quos solis ambit orbita,  
 Rerum parentis optimi  
 Laudes libenter pangite.  
 Agnoscite indulgentiam  
 Benignius nos in dies  
 Fouentis, & constantiam  
 Promissa certam reddere.

PSAL.

PSAL. CXVIII. *Confitemini Domino  
quoniam bonus, &c. Carm. gen. 2.*

**E**ia Deum laudate, Deū facilem q̄ bonum q̄  
Larga benignum semper indulgentia.  
Eia Dei, soboles Iacobi, dicite laudes,  
Larga benigni semper indulgentia.  
Eia Deum canat Aronis numerosa propago,  
Larga benignum semper indulgentia.  
Eia Dei pura cultor pietate, fatere  
Larga benignum semper indulgentia,  
Audiit orantem Dominus me rebus in arctis,  
Ac liberauit illico ex angustijs.  
Ille mihi assistat solus, non arma, nec ulla  
Humana m̄ uis adferet formidinem.  
Ille mihi auxilio sit solus: lumina damnis  
Explebo (nec me decipit spes) hostium.  
Tutius à rerum Domino est sperare salutem,  
Confidere armis quàm uirorum fortium:  
Tutius à rerum Domino est sperare salutem,  
Confidere opibus quàm potentū principū.  
In me coniuertent populi omni ex parte propin  
Dei fauetis contera cunctos ope: (qui,  
Circudent omni q̄ premant ex parte licebit,  
Dei fauentis conteram cunctos ope:  
Circudent omni q̄ premant ex parte licebit  
Quam nube densa uere se fundunt apes,  
Non secus ac fccas ignis uiolentia spinas,  
Dei fauentis conteram cunctos ope.  
Improbe quid frustra labefactum euertere ten  
tas?

P iij

Dei potentis sustinet me dextera.  
 Ille meæ uires: illum mea carmina pangent  
 Vnum: salutis unus auctor est meæ,  
 Cunctaq; iustorum pariter tentoria plaudent:  
 Meæ salutis pariter auctorem Deum  
 Laudabunt: cantúq; ferent ad sidera dextram  
 Belli potentem, diuitem uictoriæ:  
 Dextram armis, dextrá præstanté robore, de-  
 Belli potentem, diuitem uictoriæ. (xtram  
 Sæua quid insultas mihi mors? tua tela recode:  
 Frustra minaci terribitas me spiculo.  
 Viuo equidem, uiuúsq; feram super æthera cæ-  
 Raram benigni numinis clementiam. (tu  
 Iure parens bonus ærumna me afflixit acerba:  
 At imminentem reppulit mortem tamen.  
 Pandite pontifices sacri mihi limina templi,  
 Salute parta ut laude prosequar Deum.  
 Hæc est illa Deo gratissima ianua, iustis  
 Votis aperta dehinc futura ianua.  
 Te meritò, pater alme, canã: tu rebus in arctis  
 Aurem applicasti supplici placabilem:  
 Sospes & in festo duce te sum tutus ab hoste.  
 Et molientum tecta quem reiecerat  
 Artificum improbitas lapidè, fastigia summi  
 Latè refulgens iam coronat anguli.  
 Scilicet arcano factum est hoc numine, nostra  
 Attonita factum quod stupescunt lumina.  
 O lux festa, ô lux iucunda ad gaudia nata,  
 Cælestis in nos lux fauoris conscia.  
 Vsq; faue, custosq; tui, pater optime, regis  
 Sis, & secundos cœpta duc ad exitus.  
 O felix,

O felix, iterum ô felix, quem rector Olympi  
 Populo salutis misit auctorem suo.  
 Nos, quibus est sacri custodia credita templi  
 Vobis precamur cuncta uertant prosperè.  
 Vnus enim Dominus rerū moderatur habenas  
 Qui gratiæ in nos lumen effundit suæ.  
 Lætitia celebrate diem, foetusq; bidentis  
 Tenellus aræ uinctus astet cornibus.  
 Te Dominū, te mente colam, te uoce fatebor:  
 Tuūmq; semper laude nomen prosequar.  
 Eia Deum laudate, Deū facilemq; bonumq;  
 Larga benignum semper indulgentia.

PSAL. CXIX. *Beati immaculati in uia:*  
 etc. Carm. gen. 27.

*Aleph.*

○ Beatos, qui sequuntur orbitam legis Dei:  
 Obeatos qui monenti spōte parēt numini,  
 Labe puri nec relinquunt lege iussum tramitē,  
 Quem seueritate dura nos tenere præcipis.  
 O gradum regas labantem sic, monenti ut  
 paream,  
 A tuis attēta iussis nusquam ut errent lumina:  
 Tum ducem canam æquitatis candido te pe-  
 ctore,  
 Obsequar tibi; obsequentem tu tibi ne desere.

*Beth.*

Quid iuuentam, ne labasciat, seruat æquè ac  
 lex tua?

P v

Hinc ne aberrem, modò laboro: tu laboran-  
tem rege.

Ne uacillet pes, meo tua uerba condo pectore.  
Rector orbis, æquitatis regulam tuæ doce  
Me, tui oris uerba semper ore mediter ut meo:  
Illa longè chariora semper auro ut æstimem:  
Illa cogitem, illa secter, illa mirer unice:  
Illa nulla è corde nostro delectant obliuia.

*Gimel.*

Da tuæ legi obsequenti uiuere: ut propius tui  
Conspicer pacti æquitatem, pande mentis lu-  
mina.

Inquiliuum iussa legis ne tuæ celaueris.  
Fœderum leges tuorum ægra mens desiderat.  
O, tuæ legis superbum qui premis fastidium,  
Me tuæ legis sequacem uindica: cui diuites  
Arroganter obloquantur, iussa quòd serue tua  
E tuo sermone uitæ quòd capessam formula.

*Daleth.*

Aeger animus languet: agrum recrea uerbo  
tuo.

Cordis arcanas latebras prodidi tibi: rudem  
Tu doce. præferq; lucem, scita mediter ut tua:  
Et cor anxium tui uerbi erigas solatio.  
Absq; fuce fac tuarum scita legū ut diligam.  
Recta sector, instituta spectro semper ad tua,  
Lex tua animo sculpta inheret: spem meam ne  
desere.

Pande iter tuæ æquitatis: te comes læt' sequar.  
He.



He.

Legum iter monstra tuarū: fœdus erudi tuum,  
 Fœdus ut legemq̄ totis imbibam præcordijs,  
 Cuncta ut instituta recta secter usq̄ semita.  
 Sordidis auerte curis iussa pectus ad tua:  
 Flecte lumina, impias ne uanitates hauriant.  
 Languidum excita: face ut te timeat animus  
 ac amet.

Libera probro à pudēdo me benignus arbiter:  
 Et statuta me amātem tua æquitas seruet tua.

Vau.

Me bonus respice opiferq̄, fœderis memor tui  
 Ora claudā ut exprobranti spem tuæ fiduciæ:  
 Spes salutis, ueritatem ab ore ne tuam eripe:  
 Semper ut tuis statutis audiens, tuto gradu  
 Ambulem. tua iussa quæro sola: coram regibus  
 Disserā (nec me pudebit) de tuis sermonibus.  
 Hos amaui, & hos amabo: & obsequens his,  
 brachia  
 Tollam: ut usq̄ & usq̄ uoluam hos ore, men-  
 te cogitem.

Zain.

Sis memor pacti, columna quæ meæ fiduciæ est:  
 Quod leuat mærentem, & ægrum è fauce mor-  
 tis eripit.  
 Rideant licet superbi, te sequar: legem tuam  
 Usq̄ repetam, in rebus arctis hoc erit solatiū.  
 Impios quū legis hostes cerno, totus horreo.

Carmen

Carmen hæc erit mihi, orbem donec hospes  
hunc colam.

Hanc ut obseruē tenebrę me silentes admonēt:

Illam mentē cura semper unice exercet meam.

*Heth.*

Obsequi tibi, mihi una est spes, opes, hereditas.  
Ut bonus promissa præstes, unice unum id am-  
bio.

Actiones uitę ut omnes ad tuam componerę  
Legem: ad hanc custodiendam quę licet me  
comparo.

Impeditus impiorum uinculis hanc cogito.  
Huius ergo nocte surgēs prosequor te laudibꝰ,  
Qui uerentur hanc, amicis utor, hanc parens  
bone,

Qui tua benignitate cuncta replet, edoce.

*Teth.*

Domine ades, pollicita seruo fac benignę ap-  
pareant.

In tua lege acquiescam; me doce legem tuam.  
Vix malo coacta leges mę sequi didicit tuas.  
Scita, fons benignitatis, tua benignę me doce  
Me superbi criminantur; corde toto ego te se-  
quar.

Iussa me iuuant tua, illis mens hebescit pro-  
speris.

Erudisti me malis, ut legi adhęream tuę,  
Hęream ut legi, auri aceruis gratiori ingētibus.

*Iod*

## Iod.

Da manu tua creato nosse uim legis tuæ.  
 Me pij læti obsequentem legibus spectant tuis.  
 Iusta lex tua est: premis me iure iustus arbiter.  
 At libenter audientem iussa me tua recrea.  
 Tibi libenter obsequentem præueni clemētia:  
 Seruulū tuū prementē comprime arrogantia.  
 Me tuæ legi obsequentes obsequentē diligāt.  
 Nec ferat tibi obsecundans pura mēs infamia.

## Caph.

Deficit mens spe salutis, spes nec illam deficit.  
 Lassa languent lumina: utris corpus instar a-  
 ridi  
 Tabuit. solare promissi in malis memorē tui.  
 Quis ferēdi finis? hostē quando punies meum?  
 Mihi tuę legis superbus hostis effodit scrobem.  
 Aequalis, promissa certa sunt tua: hostes con-  
 fice,  
 Qui premunt me quòd te in uno collocem fi-  
 duciam.  
 Scita fac ut ad tua omnes actiones dirigam.

## Lamed.

Certa eūt promissa, certa stat tuis uerbis fides,  
 Dum polo stelle micabūt, herba terras uestiet:  
 Sempiterno quæ recursu legibus parent tuis.  
 Obruissent me dolores ni affuisset lex tua,  
 Lex salubris: nulla nobis tollet hāc obliuio.

Sum

Sun tuus, tua instituta diligentes diligo.  
Cæteris est finis: illa sola semper permanent.

## Mem.

O tuam quàm legem amaui semper illã cogito.  
Hostibus prudentiorem me meis hæc reddidit.  
Factus huic fui obsequendo doctior doctorib<sup>9</sup>.  
Huic quod audiã, senectã astutior sum callida:  
Huic ut obsequar, malorum flecto gressum à se  
mitis.

Te docente non recedo paululũ à uerbis tuis,  
Faucibus meis sũauis melle suauioribus.  
Eruditus his, recedo à semita mendacij.

## Nun.

Sancta lex, uelut lucerna, dirigit pedes meos.  
Obstinaui animũ tuis ut obsequar sermonib<sup>9</sup>.  
Obrutum malis, tuorũ fœderum memor, leua.  
Edoce me iussa, & oris hanc bonus cape uicti-  
mam.

Iussa nõ reiecta, quamuis undiqz instarẽt mala:  
Hæc nec abiecti impiorum penẽ clausus retib<sup>9</sup>.  
Hæc uoluptas, hoc mihi unum gaudium, hæc  
hæreditas.

Hic scopus mihi manebit unus, aura dũ fruar.

## Samech.

Diligo legem tuam, sicut malos abominor.  
Vnica es spes, una uerbis in tuis fiducia.  
Ut Dei mandata seruem, hinc impij facessite.  
Me tuo sermone fulci, ne sequar spes irritas.

Te

Te regente saluus usq; iussa diligam tua.  
 Perfugas calcas tuos, qui uana frustra cogitāt.  
 Legem amo tuam, quod omnes impios exter-  
 mines,  
 Corpus horret quum seuerū cogito te iudicē.

*Ain.*

Aequa ne me diligentē desere opprimentibus.  
 Iusta fac amem superbo tutus à ludibrio.  
 Dum salutē spero, scita specto dū tua lumina  
 Lassa languent: tu benignus edoce seruū tua  
 Placita: legum fac tuarū intelligat mysteria.  
 Tempus instat puniendi legis aduersarios,  
 At tuum scdus mihi auro est charius charis-  
 simo.  
 Hoc amo, huc errore misso dirigo uitæ ordinē.

*Pe.*

Mira rituum tuorum mens colit mysteria.  
 Verba pectori imperito luminis sunt ianua.  
 Faucib<sup>9</sup> tua uerba apertis duco. uitę ut spiritū:  
 Ceu soles te diligentes, intuere me bonns.  
 Dirige ad tua uerba gressus: tum scelus non op-  
 primet  
 Me. tuæ legi, impiorum liber à calumnia,  
 Obsequar. bonus intuere me, tuam ut legē se-  
 quar. (mæ.  
 Si quis hęc spernit, fluūt mihi more riuī lacry-

*Sade.*

Iustus es creator orbis: iusta iussa sunt tua.  
 Plena lex est æquitatis: certa uerbis ueritas.

Rumpor

Rumpor ira, quū scelestis impiè contemnitur.  
Sermo purus instar ignis: seruus hunc amat  
tuus.

Impij spernant licebit me, tuam legē sequar.  
Iussa stat tua sempiterna, mota nullo turbine.  
Turbidis mihi illa rebus anxium cor recreant.  
Scire legem da tuam: uitam mihi donaueris.

*Coph.*

Corde toto audi uocantem, legi ut obsequar  
tuæ.

Inuoco, adiuua inuocantem, fœdus ut colam  
tuum:

Inuoco te mane, uerbis in tuis fiducia est.  
Nocte uigiles anteuerto, uerba mediter ut tua.  
Me benignè audi, ut soles, & fauce mortis eripe.  
Impij me persequuntur, legis expertes tuę:  
Tu propinqua Domine, iussa cuius omnia ius-  
ta sunt.

Iussa firma sine nullo, firma nullo exordio.

*Res.*

Aspice afflictū: leua me, fœderis memorē tui:  
Fœderis memor meam uitam patronus aslere.  
Impij malè interibunt, iussa qui tua negligūt.  
O bonus sine fine, robora, ut soles, uitā meam.  
Me prementū multitudo à lege non flectit tua.  
Meret animus intuendo pacta qui spernūt tua.  
Tu bonus tua iussa amantem me uicissim re-  
crea.

Cūcta promissa tua nullū fixa norūt terminū.

*Sin*

*Sim.*

Me premit tyrānis: at cor uerba meditatur tua  
 Verba gratiora gazis aureis animo meo,  
 Diligo legem tuam, ceu uanitatem abominor.  
 Septies tuā æquitatem me canentē lux uidet,  
 Legem amantibus tuam pax multa, nulla of-  
 fensio.

Speçtat à te mens salutem, nixa promissis tuis.  
 Mens amat promissiones unice & seruat tuas.  
 Seruo tua pacta, ut uicissim tu uitam obseruas  
 meam.

*Thau.*

Inuocanti da tuarum scire legum abscondita,  
 Inuocantem libera me, fœderis memor tui.  
 Te docente prædicabit os tuas laudes: tua  
 Iussa lingua nunciabit, iussa longè æquissima.  
 Dexterā tuā obsequentem iussibus iuua tuis.  
 Abs te opem spero: tuarum scita legum diligo.  
 Sospita me, ut prædicem te. lex iuuabit me tua.  
 Me uagam ut pecudem, require fœderis me-  
 morem tui.

PSAL. CXX. Ad Dominum, quum tri-  
 bularer, &c. Carm. gen. 3.

**H**inc me obsidebant bella, & hinc calumniæ  
 Liuor faces admouerat:  
 Ad te refugi destitutus omnibus,  
 Rerum creator optime.

Te uoce supplexinuocauī, tu meas  
 Non lentus audisti preces.  
 A fraudulentæ toxico linguæ Deus  
 Me protege & mendacijs.  
 O lingua fraudis machinatrix impiæ,  
 Quia spe meum oppugnās caput?  
 Scythæ ferocis lingua pestilentior  
 Tinctis ueneno spiculis.  
 Ignis uoracis lingua flammis acrior,  
 Quum silua flagrat arida.  
 Heu uita tristis, uita dura & anxia,  
 Per inuios erratica  
 Montes, latrones inter, atq; inhospita  
 Gentis feræ mapalia.  
 Mens ægra uitæ carpitur fastidio,  
 Hostes quietis accolens:  
 Hostes quietis, blanda quos oratio  
 Ferociores efficit:  
 Quos innocentis mentio concordia  
 Ad bella sæua exasperat.

PSAL. CXXI. *Leuauī oculos meos in  
 montes, &c.* *Carm. gen. 17*

**D** Vm ferox armis inimicus instat,  
 Ad montes uaga lumina  
 Proximos circumfero, si quid illinc  
 Fortè appareat auxili.  
 At mihi cæli Dominus soli q;   
 Certam solus opem feret.

Ille



Ille (quid uano trepidans tumultu  
 Cor pulsas mihi pectora?)  
 Ille sanctorum (mihi crede) custos  
 Noctes excubat & dies:  
 Victa nec blandi illecebris soporis  
 Vnquam lumina dimouet,  
 Leniter passis tibi semper alis  
 Vmbrae more superuolat,  
 Ne cutem solis uiolentioris  
 Vrant spicula de die,  
 Nocte ne lunæ nebulosioris  
 Artus degrauet halitus.  
 Seu domi clausus lateas, latentem  
 Clausis seruat in ædibus:  
 Seu foris pacis obeas amicæ,  
 Seu belli fera munera,  
 Sospitem è cunctis Dominus periclis  
 Semper te bonus eruet.

PSAL. CXXII. *Letatus sum in his quæ  
 dicta sunt, &c. Carm. gen. 16.*

O Lux candida, lux mihi  
 Læti conscia nunciij:  
 Iam pleno stata tempora  
 Reddit circulus anno:  
 Iam festi reuocant dies  
 Augustam Domini ad domum:  
 Iam sacri pedibus premam  
 Lætus limina templi.  
 Iam uisam Solymæ edita

Q ij

Cælo culmina, & ædium  
 Moles nobilium, & uo  
 Augustam populo urbem:  
 Urbem, quam procul ultimis  
 Terræ finibus exciti  
 Petunt Isacidæ, ut Deum  
 Placent more parentum.  
 Iussam cælitus oppidis  
 Urbem ius dare cæteris:  
 Et sedem fore Davidis  
 Cuncta in sæcula proli.  
 Mater nobilis urbium,  
 Semper te bona pax amet:  
 Et te semper amantibus  
 Cedant omnia rectè.  
 Semper pax tua mœnia  
 Colat: semper in ædibus  
 Tuis copia dextera  
 Larga munera fundat.  
 Dulcis Isacidûm domus,  
 Te pax incola sospiter:  
 Sedes numinis, omnia  
 Succedant tibi faustè.

PSAL. CXXIII. Ad te leuaui oculos meos,  
 &c. Carm. gen. 6.

**A**D te leuaui, rex, pater, & Deus,  
 Ad te leuaui lumina, qui procul  
 Contagio humano remotus,  
 Tempa habitas radiata cæli.

Vt

Vt seruus obseruat domini manus,  
 Gestus & omnes lumine mobili,  
 Arguta ceu nutus acutis  
 Serua oculis dominæ tuetur:  
 Te nostra spectant, te Domine & Deus,  
 Intenta mentis lumina, dum graues  
 Iras remittas, seruulisq̃  
 Des ueniam bonus atq̃ pacem.  
 Iam lenis in nos respice: seruulis  
 Iam parce tandem, parce fidelibus,  
 Quos hostis insultans superbo  
 Ludificatq̃ premitq̃ uultu.  
 Contemptus hosti ac opprobrium sumus,  
 Vitæq̃ tædet, ferre animus nequit  
 Supercili fastum superbi,  
 Ludibriumq̃ opibus tumentum.

PSAL. CXXIII. *Nisi quia Dominus  
 erat in nobis, &c.* Carm. gen. 27.

**N**I fauentis affuisset numinis præsentia,  
 (Dicat Isaci propago) Numinis præsentia  
 Ni fauentis affuisset, quum ueniret perditum  
 Nos superba multitudo, freta stultis uiribus,  
 Fortè uiuos deuorassent: debilesq̃ & pauculos:  
 Ira feruidi furoris auida nostri sanguinis,  
 Obruisset instar undæ nos procella cladum:  
 More torrentis niuali ab imbri turgidi impet?  
 Nos repente sustulisset: usq̃ ad animam gur-  
 gites,  
 Usq̃ ad animam transiissent gurgites imperuij

Q iij

Sempiterna laus Deo sit, qui suos non tradidit  
 Dentibus prædam cruētis perfidarum gentiū.  
 Cassibus fractis dolosis sospites euasimus:  
 Capta ueluti iam uolucris rete fugit aucupis.  
 In Deo nostræ salutis spes reposita est unico,  
 Qui solum cælumq̄ fecit ui potentis dextera.

PSAL. CXXV. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, &c. Carm. gen. 6*

Sionis arcem non aquilo impotens  
 Saxo sedentem perpetuò quatit,  
 Nigrantibus non auster alis  
 Imbriferas glomerans procellas.  
 Quicumq̄ uerè spem locat in Deo,  
 Non hostis hunc uis, non quatiet dolus,  
 Si fractus illabatur orbis,  
 Incolumis fugiet ruinam.  
 Ut ciuitatem mœnia montium  
 Sanctam tuentur, sic Dominus suos  
 Vi cingit arcana, nec unquam  
 Præsidij uiduos relinquet.  
 Nec impiorum perpetuò iugo  
 Sinet piorum progeniem premi,  
 Ne turpibus contaminetur  
 Flagitijs labefacta mentem.  
 Ut affluenter fac bona sint bonis,  
 Ut continenter fac male sit malis,  
 De calle quos recti illecebris  
 Impietas malè sana flexit.  
 Fac sancte rerum conditor, ut domum  
 Beata

Beata semper pax colat Ifaci.  
 Tranquillitas segura pulchrę  
 Exhilaret Solymę colonos.

PSAL. CXXVI. In conuertendo Domi-  
 nus captiuitatem Sion, &c. Carm. gen. 2.

Q Vum pater omnipotēs captā remeare Sio-  
 Dulcemq3 iussit patriā reuisere, (nem,  
 Attoniti stupuere animi, nec opināq3 secum  
 Metum librantēs inter & spem gaudia.  
 Vixq3 sibi credunt. ueluti qui noctis opacę,  
 Sopore pulso, manē uersat somnia,  
 Pro lacrymis redeunt risus: sua gaudia quisq3  
 Sermonē celebrat, patrium laudans Deum.  
 Nec minus attonito stetit ad miracula uultu,  
 Sic barbarorum turba secum muslitans,  
 En pater ille Deūm quot signa ostēdit amoris  
 Huius saluti gentis usq3 ut prospicit!  
 Nec falso. nam signa Deus monstrauit amoris  
 Pręclara, nostrę dum saluti prospicit.  
 Ergo alacres læto testamur gaudia plausu.  
 At tu benigne fac parens ut cęteri  
 Iam redeant, plenisq3 uijs sic agmen inundet,  
 Ut æstuosi quum flat Austri spiritus,  
 Indignata suis cohiberi flumina ripis,  
 Vaga per agros murmurant licentia.  
 Qui malē fœcundę commisit femina terrę,  
 Et corde tristis multa uoluit anxio,  
 Si uenit uberior seges imbribus aucta benignis,  
 Exultat hilari cor metentis gaudio.

Q iij

Nos quoq3 longa fugæ post tædia póstq3 labo  
 Læti arua dulcis patriæ reuifimus. (res,  
 Te patrium canimusq3 Deum, semperq3 cane  
 nemus:

Agimúsq3 memores atque agemus gratias.

PSAL. CXXVII. *Nisi Dominus ædifica  
 uerit domum, &c.* Carm gen. 3.

**N**I cœpta Dominus iuuerit, frustra struis  
 Moles superbas ædium.

Ni Dominus urbem seruet, incasum excubat  
 Muris uigil custodia.

Frustra anteuertis mane solem, & uespere  
 Sero domum reuerteris:

Victum labore uix parabis anxio,

Ni Dominus admorit manum.

At ille amicis interim suis dabit

Purum soporem fomnijs:

Domúm q3 dulci prole fœtam liberúm

Præbebit. Hæc hæreditas,

Hæc illa merces qua beat charos sibi

Rerum ille Dominus omnium.

Non sic timori est dexteram telis grauis

Bellator hostis hostibus,

Vt quem parentem masculæ propaginis

Fauor beabit numinis.

O ter beatum & amplius qui talibus

Pharetram sagittis impleat.

Non ad tribunal erubescet iurgia

Procacis aduersarij.

PSAL.

PSAL. CXXVIII. Beati omnes qui ti=  
ment Dominum, &c. Carm. gen. 26.

Felix o ter & amplius  
Quem timor Domini tenet,  
Quem non illius a uia  
Flectit deuius error.  
Felix & tibi prosperè  
Cedent omnia: nam tuo  
Carpes dulcia fercula  
Comparata labore.  
Instar palmitis uberi  
Prouentu grauidi, & coma  
Cingentis uiridi domum,  
Te coniunx hilarabit,  
Ceu plantaria fertili  
Pubescunt oleæ solo,  
Iucundo tibi liberi  
Cingent agmine mensam.  
Quem timor Domini tenet,  
Inter talia commoda  
Vitæ tempora transiget.  
At te ex arce Sionis  
Dirabit Domini manus  
Larga: & conspicias bonis  
Florentem Solymam, tibi  
Donec uita manebit.  
Prolis aspicias tuæ  
Longa stirpe propaginem:  
Festa semper & Ifaci  
Lætos pace nepotes.

Q V

PSAL. CXXIX. *Sæpe expugnauerunt  
me à iuuentute mea, &c. Carm. gen. 34.*

**I**vre dicat grex bonorum,  
Mille me molestijs  
Factio pressit malorum:  
Vsq; ab incunabulis  
Factio pressit malorum  
Mille me molestijs:  
Nec tamen subuertere unquam  
Quiuit ullis machinis.  
Terga sæuis exarauit  
Verberum uibicibus:  
Terga longis secta sulcis,  
Hostis ad fastidium:  
Sed parens rerum benignus  
Vincla rupit impia,  
Meq; neruo liberauit  
Seruitutis asperæ.  
Qui Sionis non amico  
Spectat arces lumine,  
Vota semper uana uoluat,  
Spes inanes nutriat.  
Marceat, ceu sole marcet  
Herba languens torrido,  
Herba summis nata tectis,  
Quæ repentè corrui  
Ante falcis plagam acutę,  
Aridis radicibus:  
Vnde nec sinum repleuit

Qui



Qui maniplos colligit:  
 Nec manum messor perustus,  
 Prata tondens florea,  
 Nec uiator ominatus  
 Prospera est metentibus  
 Sic precatus, Arua læta,  
 Arua lauta & rosida,  
 Hanc in annum & usq; in annos  
 Hunc sequentes, numinis  
 Vos fauor semper benigni  
 Seruet, ornet, augeat.

PSAL. CXXX. De profundis clamaui  
 ad te Domine, &c. Carm. gen. 8.

**C** Vrarum rapidis fluctibus obrutus,  
 Arcanis animi de penetralibus,  
 Audi uerba precantis,  
 Clamaui pater optime:  
 Audi uerba pater quæ tibi supplices  
 Multo cum gemitu fundimus: applica  
 Intentam bonus aurem  
 Tristes ad querimonias.  
 Si uindex tetricus facta nefariè  
 Pœnis cuncta uelis plectere, quis sibi  
 Tam confidit, acerbum  
 Ut non horreat exitum?  
 At tu non furijs tristis es asperis,  
 Sed largus ueniæ, & munificus parens:  
 Ut te iure colamus,  
 Legum & iussa salubria.

Nam

Nam spes polliciti me recreat tui:  
 Promissi q̄ fides fallere nescij,  
 Et fiducia certa  
 Mentem sustinet anxiam.  
 Non sic præcipiti nocte uigil diem  
 Obseruat roseum, non roseum uigil  
 Phœbi sic auet ortum,  
 Ut flagrat mea mens Deum,  
 Securi in Domino figite spem pij  
 Non duro ueniam supplicibus dare,  
 Et prompto dare pressis  
 Duro seruitio manum.  
 Electi generis progeniem graui  
 Pressam seruitio ex hostibus asseret:  
 Et de morte redemptam,  
 Noxis eximet omnibus.

PSAL. CXXXI. Domine non est exal-  
 tatum cor meum, &c. Carm. gen. 28.

Si spiritu impotenti,  
 Si lumine insolenti  
 Elatus ambulauī,  
 Si uirium mearum  
 Fiducia superbus  
 Despexerim minores:  
 Si mentis arrogantis  
 Sublime uectus alis,  
 Maiora quàm liceret  
 Sperare, cogitauī:  
 Ni uota temperauī

Modestia

Modestia salubri:  
 Nil deprecor, rogāte,  
 Nullam recuso pœnam.  
 Qualis puer tenellus  
 Vix lacte pulsus, unam  
 Suspirat in parentem,  
 Hanc spectat, hac ab una  
 Dependet, ambit unam:  
 Aeterne rector orbis,  
 Te mens mea intuetur  
 Vnum, uni adhæret, unum  
 Te uindicem salutis  
 Agnoscit. O piorum  
 Propago sancta patrum,  
 Vnum Deum parentum  
 Spectate, spes in uno  
 Locate, cuncta ab uno  
 Sperate: spem nec unquam  
 Fouebitis caducam.

PSAL. CXXXII. *Memento Domine  
 Dauid, & omnis mansuetudinis eius, &c.  
 Carm. gen. 1.*

**D**Auidis esto memor, genitor, memor esto  
 laborum  
 Quos tulit, in rebus tua iussa sequutus egenis.  
 Ille tibi, Hebrææ gentis Deus unice, uotis  
 Obstrinxit caput, & promissis ora reclusit,  
 Non ædes prius ingrediar, mollisue reponam  
 Membra

Membra thoro, aut oculis dulcem indulgebo  
foporem,

(pli

Quàm fanum inueniā, & sacri fundamina tem  
Designem, sanctisq; locum dimetiar aris.

Ecce mihi, patrijs subito dum uersor in aruis,  
Et iuga dū peragro siluestribus obsita dumis,  
Monstrauit Deus ipse locū. Deus ipse perenne  
Hic templum, templiq; sacris sedē innuit aris.  
Ergo alacres gratam Domino properemus ad  
ædem:

Scāna pedū pronis ueneremur uultibus. & tu  
Sancte parens, bonus ac placidus cape uota,  
tuamq;ue

Lætus adi sedem: neu dedignare penates  
Qui memorem æterni seruabunt fœderis arcā.  
Templa sacerdotes casti tueātur, & omnes  
Qui tua ritè pijs uenerantur numina sacris,  
Lætitia exultent. Si Dauid pectore puro  
Te coluit, ne Dauidicæ nunc respue prolis  
Dona, tui populi cui frena tenenda dedisti.  
Dauidi enim quondam (neq; iam sententia  
uertet

Vlla tua mentem) iurasti, E stirpe propago  
Nata tua solium & sceptrum retinebit auitum.  
Quòd si posteritas seruet mea fœdera, pactis  
Si steterit, leges si non temerarit auitas,  
Nulla dies solio uis nulla extrudet auito,  
Et natos natorum, & qui nascentur ab illis.  
Ipse mihi sedem elegi sine fine Sionem,  
Quam colerem: hïc mihi certa quies, hïc certa  
uoluptas:

Hæc

Hæc mihi grata domus. cæli indulgētia fruges  
 Faxo alat, & duros largē saturabo colonos.  
 Templata tuebuntur casti iusti q̄ ministri,  
 Lætitiā q̄ pijs profunda in pectora certa:  
 Daudico q̄ nouū producam è semine germē,  
 Quod latè in populos fundet sua brachia: stir-  
 Propiciam seræ soliū qui illustret auitū, (pi  
 Clara q̄ percunctas diffundat lumina terras.  
 At pudor & turpes maculas infamia spargens,  
 Hostibus inficiet uultus. Iessæ propago  
 Florebit, cinget q̄ sacrum diademate crinem,  
 Transmittet q̄ suam lōgæua in sæcula famam.

PSAL. CXXXIII. Ecce quā bonum  
 & quā iucundum, &c. Carm. gen. 3.

**N**il charitate mutua fratrum, nihil  
 Iucundius concordia,  
 Non aura suavis balsami, quum funditur  
 Aronis in sacrum caput,  
 Et imbre læto proluens barbam & sinus  
 Limbum pererrat aureum:  
 Non ros, tenella gemmulis argenteis  
 Pingens Sionis gramina,  
 Aut uerna dulci inebrians uligine  
 Hermonis intonsi iuga.  
 Fraternalis pax incolit domum, iuuat  
 Dominus benigna dextera:  
 Et opibus auget: filiorum & filios  
 Multis propagat sæculis.

*Res dilecta quies, pax, alii vixit gehennam*

PSAL

PSAL. CXX XIII. Ecce, nunc benedicite Domino, &c. Carm. gen. 3.

**D**omini ministri, nocte qui custodit  
Sancti excubatis atrij,  
Laudate Dominum laudibus, donec sacro  
Nox annuit silentio.  
Interq; laudes mentibus puris manus  
Cælo supinas tollite.  
Et uos beabit Dominus inuicem omnibus  
Cæli soli q; commodis:  
Dominus Sionem qui tuetur, unicus  
Cæli soli q; conditor.

PSAL. CXXXV. Laudate nomen Domini, laudate, &c. Carm. gen. 1.

**V**os quibus est sacri custodia credita tēpli,  
Eia Deum laudate: Deū celebrate ministri  
Qui sacra assidua uigilatis ad atria cura.  
Eia Deum laudate bonum, nomenq; beatum  
Tollite perpetuo uestro super æthera cantu.  
Quippe Iacobum ultro legit, lectumq; dicauit  
Hunc sibi, ceu priuam patrimonij in sæcula sortem.  
Nota quidē Domini est immēsa potētia, notū  
Numen: quippe deos sub se premit altior omnes,  
Quos alij stolidi placant ceu numina cura.  
Versat enim nutu cælo, terraq; mariq;  
Aut

Aut si quod cecis clausū est penetrare tenebris  
 Naturę, quodcunq; libet. de uiscere terrę  
 Euocat & liquido suspendit in aëre nubes:  
 Fulguribusq; uagis uenientes præuenit imbres  
 Deq; suis promit uentorum flamina gazis.  
 Ille hominū primos foet<sup>9</sup> pecudumq; per arua  
 Diuitis Aegypti strauit: regemq; superbum,  
 Et quicunq; bibunt septēflua flumina Nili,  
 Terruit ostentis: ualidis ille oppida muris  
 Turrita euertit: numerofo milite cinctos  
 Cum stirpe extinxit uiolento funere reges,  
 Quiq; Amorrhæis Seon regnauit in oris,  
 Quiq; Basan Ogus magna ditione tenebat,  
 Regnaq; non uni Cananæia subdita scepro:  
 Aruaq; deiectis nuper uiduata tyrannis,  
 Accepere nouos Iacobi è stirpe colonos.

Sancte parēs rerū, qui iusto examine nosti  
 Parcere subiectis & debellare superbos,  
 Posteritas te sera canet: tua splendida facta  
 Nulla unquam ex animis tollent obliuia no-  
 stris.

At sibi quę uarijs finxit simulacra figuris  
 Vana superstitio, calidis fornacibus aurum  
 Argentūm ue liquans, nil sunt nisi ludicra dex-  
 trę

Humanę commenta: illis os uocis inane:  
 Lucis egent oculi: furdas sonus aduolat aures:  
 Et patulas frustra nares iucundus odorum  
 Halitus incurfat: calidus non pectora pulsat  
 Spiritus. O quisquis ludibria tali a fingit,

R

Aut colit, ipse suis similis dijs exigat æuum,  
 Mentis inops, & lucis egēs: non aure nec ore  
 Accipiat reddatue sonos: nec nare sagaci  
 Sentiat halantes per prata nitentia flores.

Tu uerò, genus à magno Israele profectum  
 Et domus Aronis, genitiq; è sanguine Leui,  
 Et quicunq; pio rerum uenerare parentem  
 Obsequio, laudate Deum qui tecta Sionis  
 Ardua, qui sacram Solyinæ bonus incolit ædē

PSAL. CXXXVI. *Confitemini Domino, quoniam bonus, &c. Carm. gen. 2.*

**E** la Deum laudate, Deū facilem q; bonum q;  
 Larga benignum semper indulgentia.  
 Eia Deū laudate. Deus namq; ille deorum est,  
 Larga benignus semper indulgentia.  
 Cui Domini rerum submitunt scepra tyrāni,  
 Larga benigno semper indulgentia.  
 Qui facit attonito solus miracula mundo,  
 Larga benignus semper indulgentia,  
 Qui nitidos mira arte polū conuoluit in orbes,  
 Larga benignus semper indulgentia.  
 Qui liquidis terras emergere iussit ab undis,  
 Larga benignus semper indulgentia.  
 Qui uitreo accendit flammantia lumina cælo,  
 Larga benignus semper indulgentia.  
 Qui solem auricomum iussit dare iura diei,  
 Larga benignus semper indulgentia.  
 Qui lunā & stellas teuebras distinguere noctis  
 Iussit,



Iussit, benigna semper indulgentia.

Pignora prima Phari qui fato extinxit acerbo,  
Larga benignus semper indulgentia.

Isacidas medio incolumes ex hoste recepit,  
Larga benignus semper indulgentia.

Qui rubri Oceani torpentes diffidit undas,  
Larga benignus semper indulgentia.

Perq̄ undas filias sobolem traduxit Abrami,  
Larga benignus semper indulgentia.

Pharonem & Pharios submersit gurgite curr⁹,  
Larga benignus semper indulgentia.

Deduxitq̄ suos deserta per auia tutos,  
Larga benignus semper indulgentia.

Et ualidos merita prostrauit clade tyrannos,  
Larga benignus semper indulgentia.

Strauit Amorrhæum ualida uirtute Seonem,  
Larga benignus semper indulgentia.

Strauit Ogum magno fidentē corpore frustra,  
Larga benignus semper indulgentia:

Metatusq̄ nouis agrum est utriusq̄ colonis,  
Larga benignus semper indulgentia.

Isacidis habitare suis dedit hostica rui a,  
Larga benignus semper indulgentia.

Qui nos in rebus miseros respexit egenis,  
Larga benignus semper indulgentia.

Auertitq̄ ferum nostris ceruicibus hostem,  
Larga benignus semper indulgentia.

Qui genti uitam humanæ uictumq̄ ministrat,  
Larga benignus semper indulgentia.

Astrigeros laudate Deum qui temperat orbis,  
Larga benignus semper indulgentia.

R ij

PSAL. CXXXVII. *Super flumina Bab.*  
*etc. Carm. gen. 22.*

**D**Vm procul à patria mœsti Babylonis in o-  
 ris,

Fluminis ad liquidas fortè sedemus aquas  
 Illa animum subiit species miseranda Sionis,  
 Et nunquam patrij tecta uidenda foli.

Fleuimus, & gemitus luctantia uerba repressit  
 Inq̄z sinus liquidæ decidit imber aquæ.

Muta super uirides pendebant nablia ramos,  
 Et salices tacitas sustinuère lyras.

Ecce, ferox Domin' Solymę populator opime  
 Exigit in medijs carmina læta malis:

Qui patriam exilio nobis mutauit acerbo,  
 Nos iubet ad patrios uerba referre modos,

Quale cauebamus, steterat dum celsa Sionis  
 Regia, finitinis inuidiosa locis.

Siccine diuinos Babylon irrideat hymnos?  
 Audiat & sanctos terra profana modos?

O Solymæ, ô adyta, & sacri penetralia templi,  
 Vllâne uos animo deletat hora meo?

Comprecor, antè meæ capiant obliuia dexte,  
 Nec memor argutæ sit mea dextra lyra:

Os mihi destituat uox, arescente palato,  
 Hæreat ad fauces aspera lingua meas:

Prima mihi uestræ nisi sint præconia laudis:  
 Hinc nisi lætitæ surgat origo meæ.

At tu (quæ nostræ insultauit læta rapinæ)  
 Gentis Idumææ tu memor esto pater.

Diripite, ex imis euertite fundamentis,  
 Aequaq̄z

Aequaq̄s (clamabant) reddite tecta solo.

Tu quoq̄s crudeles Babylon dabis impia pœ-  
Errerum instabiles experiere uices: (nas:

Felix qui nostris accedet cladibus ultor:  
Reddet ad exemplum qui tibi damna tuū.  
Felix qui tenero conspergit saxa cerebro,  
Eripiens gremio pignora chara tuo.

PSAL. CXXXVIII. Confitebor tibi  
Domine in toto corde meo, &c.

Carm. gen. 29.

Pectore te grato Dominūq̄s Deūq̄s fatebor  
Coram superbis regibus,  
Et tua facta canam.

Ad tua templa oculis, animo ad tua numina  
Nomen celebrabo tuum (spectans,  
Perpetuamq̄s fidem:

Qui promissa nouis donis cumulata rependis:  
Audis uocantem, robora  
Das animo trepido,

Te, quacunq̄s patet tellus circumflua ponto,  
Reges fatebuntur Deum,  
Quum sine labe fidem

Audierint: ritusq̄s tuos super æthera cantu  
Ferent, tuæq̄, gloriæ  
Ad inbar attoniti,

Nam liquidi quanquã trās ignea mœnia mūdi  
Beatus in te permanes:  
Attamen haud humiles

R iij

Despicis, elatosq; premis. discrimina mille  
 Passim mihi circumstrepant,  
 Te duce turus ero.

Tu ualida obsistes dextra furialibus ausis  
 Qui me laessunt hostium:  
 Incolumiq; dabis.

Quod superest, siquid superest. bonitate peren  
 Quo coeperas gradu tuae (m.)  
 Facta tuere manus.

PSAL. CXXXIX. Domine probasti  
 me, & cognouisti me, &c. Carm. gen. 3.

**M**omenta uitæ nulla te latent meæ,  
 Rector benigne cælitum.  
 Seu sedeo, siue surgo, seu quid cogito,  
 Tu cuncta præsens aspicias.  
 Lux siue curam, seu quietem nox tulit,  
 Curam & quietem temperas.  
 Nec te minutæ uoculæ fugit sonus,  
 Quam lingua temere fuderit.  
 Et os & humeros, totiusq; corporis  
 Sic arte mira fabricam  
 Finxisti, acumen nullum ut humani ingeni  
 Ratiouæ possit assequi.  
 Quonam ergo uultum fugero tuum? quibus  
 Clausus latebris occular?  
 Petamne cælum? præsto es hîc. ad inferos  
 Demergar? illinc non abes.  
 Aurora curru me uolucris ut deferat  
 Ad Occidentis limitem:

Hîc

Hic deprehendes me, nec hinc tutus tuæ  
Vitabo fulmen dexteræ.  
Incanta mens si fortè secum cogitet,  
Nox me tenebris occulet,  
Obscura tenebris nostra nox luce est tibi  
Meridiana clarior:  
Tibi nec tenebræ sunt tenebræ, nec tuæ  
Nox ulla prouidentia est.  
Arcana mentis tu tenes, qui pectoris  
Arcana fabricatus es.  
Qui me parentis uentre conditum, cutis  
Tenello amictu inuolueras.  
Compago mira corporis nostri, tuæ  
Miraculum est solertia.  
Stupenda cuius opera nec nostra assequi  
Sed nec negare mens potest.  
Nam nulla nostri tam minuta est corporis  
Pars, ut tuam scientiam  
Fugiat, nec ulla claustra pectoris latent  
Te conditorem pectoris.  
Massæ recentis rudia adhuc primordia,  
Rudisq; massæ semina,  
Ceum scripta haberes, corporisq; lineas,  
Motum statumq; noueras.  
Et membra nondum quum foret, quid adderent  
Dies sciebas singuli.  
Hæc mente tacita cogitanti mihi, stupor  
Torpôrq; sensus alligat.  
Animus labascit quum tuæ miracula  
Perpendo mecum dexteræ.  
Citius inibo numerum, arenæ in littore

R iij

Quot uoluat æstus corpora:  
 Quamuis ocellis peruigil nunquam meis  
 Dulcem soporem indulsero.  
 O quando perdes impios rerum parens?  
 O quando sanguinarios  
 A me repelles qui scelesti nomini  
 Et numini illudunt tuo?  
 Te quisquis odit, numquid odi? non tuos  
 Hostes habebam pro hostibus?  
 Odi profectò: nec tuis ex hostibus  
 Amicus est quisquam mihi.  
 Reuolue mentis intimos sinus Deus,  
 Latebrasq; nostri pectoris,  
 Nisi hîc amorem uideris tui, nisi  
 Animum obsequi non impigrum.  
 Si par scelestis scelere sum, uitæ parem  
 Da cum scelestis exitum.

PSAL. CXL. Eripe me Domine ab homi-  
 ne malo, &c. Carm. gen. 6.

**A** Eterne rerum conditor, à malæ  
 Linguaë ueneno me bonus assere,  
 Meamq; periuri tuere  
 Hostis ab insidijs salutem,  
 Qui fraude tecta bella nefaria  
 Ciet: nec atris mitior anguibus,  
 Vibratq; linguam uirulentam, &  
 Ore uomit rabido uenenum.  
 Auerte fraudem, & me uiolentiæ  
 Hostis scelesti subtrahe, qui mea

Vesti-

Vestigia obseruat, scrobesq;  
 Obijciens, laqueosq; tendens.  
 At tu, salutis præsidium meæ,  
 Audi precantem: tu Dominus mihi  
 Deusq;, tu me liberasti  
 Incolumem crepero è duello.  
 Idem impiorum nunc bonus irrita  
 Fac uota: sæuam frange superbiam.  
 Virusq; linguæ pestilentis  
 In Domini exitium refunde.  
 Deiecta cælo flammea perfidos  
 Procella fundat præcipiti fuga,  
 Cæcosq; propellat profundas  
 Perpetui in barathri tenebras.  
 Linguæ loquacis perfida uanitas  
 Nunquam quieto deget in otio:  
 Sed impiè dignum patris  
 Exitium Domino parabit.  
 At impiorum à u! Dominus suos  
 Et fraude uindex asseret: ut pij  
 Numen Dei præsens potensq;  
 Perpetuo celebrent honore.

PSAL. CXLI. Domine clamaui ad te, ex-  
 audi me, &c. *Carm. gen. 3.*

**A** Vrem uocanti da parens propere, meas  
 Audi preces salutifer.  
 Quum uerba fundo tristis, & puras manus  
 Attollo, sic preces meas

R v

Manusq; puras respice, ac si thureo  
 Odore maue te colam:  
 Ac si colam te uictima & libamine  
 Sero rubente uespere.  
 Freno coërce linguam: ad oris ianuam  
 Fac excubet custodia.  
 Fac mens sequatur recta, fac in lubricam  
 Ne flectat erroris uiam.  
 Fac ne scelesto gaudeat coetu, neq;  
 Mens fruatur impia.  
 Me malo iustus increpet, me uerberet,  
 Quam palpet impius, comam  
 Quam rore nardi spargat. impij, precor,  
 Et impiorum praesides,  
 De rupis altæ quum ruent specula, sui  
 Supplicia sceleris ut lauat.  
 Tum subeat animum conscium, salubriter  
 Quod me monentem spreuerint.  
 Sic mortis horror ossium compagines  
 Mihi laxat, ut caesæ iacent  
 Fagi per arua fissa cuneis fragmina.  
 Tu sanete rector caelitem,  
 Spes una nobis es salutis, unicum  
 Agnoscimus te uindicem.  
 Vitam tuere ab impiorum cassibus,  
 A fraude quam struunt mihi.  
 Compos salutis impios fac in sua  
 Cernam ruentes retia.

P S A L.



PSAL. CXLII. *Voce mea ad Dominum  
clamaui, &c.* *Carm. gen. 17.*

**I**nuoco supplex Dominum, manusq;  
 Tendo ad sidera supplices.  
 Mentis huic pando lacrymas: quere  
 Imploro miseris opem.  
 Pectus afflictum dolor obruebat:  
 Quamuis rex bone celitum  
 Puriter uitæ mihi tu peractæ  
 Esles arbiter optimus.  
 Quum domo gressum tamen efferebam,  
 Tendebant mihi retia.  
 Nec mihi notus, nec amicus usquam,  
 Quoquo lumina uerteram.  
 Exitus nusquam, fuga nulla, nemo  
 Qui me sospite plauderet.  
 Ergo te, rerum pater, inuocaui,  
 Vnum præsidium in malis.  
 Tu meæ uires, mea spes, opesq;  
 Dum sedes hominum colo.  
 Da meis aurem facilem querelis  
 Fracti cladibus ultimis.  
 Assere à sæui manibus tyranni,  
 Qui me fortior opprimit.  
 Carceris uitam rape de tenebris,  
 Ut te laudibus efferam:  
 Tèq; conuentus celebret piorum,  
 Promptum ferre pijs opem.

PSAL.

PSAL. CXLIII Domine exaudi orationem meam, &c. Carm. gen. 15.

**A** Vdi uocantem rebus in asperis,  
Et lenis aurem da precibus meis,  
Rerum creator: quaq; soles fide  
Et æquitate. ab hostibus eripe.  
Iuris seueri ne trutina meam  
Expende uitam: nemo hominum innocens  
Sic est. tribunal possit ut ad tuum  
Se profiteri crimine liberum.

En hostis atrox imminet, & premit  
Stratum: tenebris tristibus abditus,  
Et lucis exors dego, uelut specu  
Quos in sepulcri mors fera condidit.

Mens penè curis obruta uoluere  
Priora cœpit tempora, quum patres,  
Spes quos fouebat præsidij tui,  
De fauce leti sæpe reuelleres.

Hac recreatus rursus imagine,  
Imploro supplex auxilium tuum.  
Intenta mens te respicit, arida  
Tellus ut imbres sub caue torrido.

Non lentus audi. nam mihi spiritus  
Vix fessa pulsat pectora: si tui  
Aperis oris lumen amabile,  
Mors atra siccis faucibus imminet.

Spe mens labores auxiliij tui  
Fert: spectat unum te, pater optime.  
Audi precantem lenis, & exitum  
Iamiam obruturis pande periculis.

Ab

Ab hoste sæuo protege me, meæ  
 Custos salutis: praua repellere  
 Mentem manumq̄, & recta capeffere  
 Doce, unicum te qui ueneror Deum,  
 Arcana fac uis numinis ut tui  
 Per plana gressum dirigat, ut tua  
 Mandata secter: neu malè credulum  
 Error malorum uertat in orbitam.  
 Vt nulla numen non celebret tuum  
 Et æquitatem natio, recrea  
 Me destitutum præsidio: & malis  
 Hostis scelesti libera ab artibus.  
 Fauoris umbra me solita tege  
 Et qui me acerbis usq̄, doloribus  
 Affligit, hostem perde nefarium,  
 Seruumq̄ serua perpetuò tuum.

PSAL. CXLIIII. *Benedictus Domi-*  
*nus Deus, qui &c.* *Carm. gen. 13.*

Quo te rex hominum carmine prosequar?  
 Qui firmas animum robore, qui manum  
 Et bellare doces, & dubij regis  
 Per discrimina prælij.  
 Quòd uiuo & ualeo, tutus & hostium  
 A fraude, eximia fulgeo gloria:  
 Quòd latè ualidis impero gentibus,  
 Totum muneris id tui est.  
 O rerum genitor, quantulus est homo  
 Hac quem prosequeris munificentia,  
 Et

Et curas patria sollicitudine  
 Figmentum fragilis luti?  
 Quo nec bulla leuis uanior est, neq;  
 Quæ mentes agitant somnia turbidas,  
 Nec serum fugiens umbra crepusculum,  
 Nec fumi uolucris uapor.  
 Cæli pande fores rex bone cælitum,  
 Ac de sidereis labere sedibus:  
 Montes nube operi: per liquidi aëris  
 Campos fulgura traijce.  
 Turbatos trepida sparge fuga impios,  
 Et sparsos iaculis perde sequacibus:  
 Porrectaq; manu me, pater optime,  
 Sæuis eripe fluctibus.  
 Hostis pelle malam uim bonus impij:  
 Linguae uaniloquæ reprime toxica:  
 Assuetæq; dolis pestiferis manus  
 Vires contere uiribus.  
 Ut te nostra nouo carmine barbitos  
 Dicat, subsidio qui recreas tuo  
 Reges: qui grauib; sæpe periculis  
 Vitam Dauidis eripis.  
 Hostis pelle malam uim procul impij.  
 Linguae uaniloquæ reprime toxica:  
 Assuetæq; dolis pestiferis manus  
 Vires contere uiribus.  
 Natorum soboles crescat, ut ubere  
 Surgit filua solo laurea: uirgines  
 Cultu sic niteant ut laquearibus  
 Templorum tholus aureis.  
 Stipentur grauidis horrea frugibus:  
 Pleno

Pleno cuncta penu copia suggerat:  
 Fœcundi pecoris non capiant greges  
 Latis pascua saltibus.  
 Pingues plaustra boues & nitidæ trahant:  
 Nec tristi resonent compita classico,  
 Nec fletu plateæ: nec furor hœsticus  
 Clausis affrenat oppidis.  
 Felicem populum, inter bona talia  
 Qui uitam in tacito transigit otio.  
 Felicem populum ter quater, omnium  
 Cui rerum pater est Deus.

PSAL. CXLV. Exaltabo te Deus meus  
 rex, &c. Carm. gen. 30.

**T**eregè Dominumq̄z canā dū lucida uoluet  
 Lucidus astra polus,  
 Et unicum colam Deum.  
 Luce canam te, nocte canam te: nulla carebit  
 Laudibus hora tuis,  
 Rerum creator & salus.  
 Magne parēs, nullo cui clausa potētia fine est,  
 Sæcula cuncta tuas  
 Laudes sonabunt: & patres  
 Longæui tua facta canent, seræq̄z nepotum  
 Per seriem soboli  
 Prodent: nec ætas gloriam  
 Nesciet ulla tuā: mirandaq̄z facta decusq̄z  
 Ille memor referet:  
 Hic magnitudinem canet.  
 Ille bonum feret & iustum, & placabilis iræ,  
 Et

Et ueniæ facilem, &  
Larga benignum dextera.

Totq̄ inter decora & laudum præconia nullo  
Emoritura die,  
Nil clarius clementia.

Ergo parens rerum, stellantis machina cæli  
Cuncta suo gremio  
Complexa prædicat tuum

Robur: & intacti scelerum contagæ nefanda,  
Te celebrant alacres,  
Tuiq̄ uires imperi

Per populos latè uulgant: ne nescia sceptri  
Terra sit ulla tui,  
Et gloriæ & potentiæ.

Imperium sine fine tibi: nec legibus æui  
Subdita scepra tenes,  
Aut clausa metis temporum.

Tu lapsos rursus attollis, firmasq̄ labantes.  
Incolumesq̄ foves  
Vitæ beatæ commodis.

Te uolucrū pecudumq̄ genus, te sæua ferarū  
Sæcula respiciunt  
Vnum, suoq̄ tempore

Accipiūt uictum. tu dextram pandis, & omne  
De locuplete penu  
Animal benignè recreas.

Quicquid agis, iusteq̄ & sancte agis: impiger  
Supplicibus facilem (aurem  
Præbes: opisq̄ compotes

Dimittis puro qui pectore cunq̄ precantur:  
Auxilioq̄ pijs

Præfens

Præfens es, & periculis  
 Eruis è cunctis qui te uenerantur animæq̃;  
 Cumq̃ suo scelere  
 A stirpe uellis impios.  
 Ergo omnes te iure canent, nomenq̃ tacebit  
 Natio nulla tuum  
 In sæculorum sæcula.

PSAL. CXLVI. *Lauda anima mea Do-*  
*minum, &c.* *Carm. gen. 6.*

**T**E, magne rerum conditor, & tuas  
 Sonabo laudes, factaq̃ posteris  
 Miranda prodam, dum recurret  
 Per calidos mihi sanguis artus.  
 Securitatem ne stabilem tibi  
 Promitte, regum præsidio: neq̃  
 De stirpe mortali & caduca  
 Pone tibi columen salutis.  
 Ut membra liquit spiritus, in suam  
 Terrena moles terram abit: & diu  
 Consulta uanescunt, & auras  
 Irrita per uacuas feruntur.  
 O ter beatum quem Deus ætheris  
 Fido tuetur præsidio, suas  
 Qui spes opesq̃ in uno  
 Constituit Domino Deoq̃,  
 Qui terram & æquor condidit & polum,  
 Et quicquid æquor terra q̃ continet  
 Polusq̃ qui plis alijs, præstat  
 nesc

Perpetuo stabilis tenore.

Quinet tyranni ui finit opprimi  
infirmiorem, aut esurie premi:

Qui carcerum ex emptos tenebris  
Compedibus leuat innocentes.

Qui nocte pulsa, luminis aurei  
Cæcis refundit luminibus iubar:  
Gressusq; firmat claudicantes,  
Iustitiamq; amat æquus æquam.

Cura fideli qui fouet aduenam,  
Orbæ marito qui uiduæ fauet,  
Orbos puellos qui tuetur,  
Et scelerum labefactat artes.

Rex ergo habenas imperij tuus  
Sion tenebit, sidera dum polum  
Pingent, & obliquum per orbem  
Sol rutilos agitabit axes.

PSAL. CXLVII. *Laudate Dominum,  
quoniam, &c. Carm. gen. 2.*

**E** la Deum laudate: Deo date carmina digna  
Certè erudito dignus ille est carmine:  
Qui Solyman instaurat rursus, passimq; per  
Sparfos reducit exules Abramidas: (orbem  
Qui fractos animi leuat, & corda anxia lenit:  
Mulcet dolores, mitigatq; uulnera:  
Qui numerat tacito labentia sidera mundo,  
Suisq; quæq; nuncur <sup>uocabilis.</sup>  
Magna Dei uirtus, im <sup>cunq; potentia: nulla</sup>  
quam



Quam lingua fari possit, aut mens cogitet.  
Qui mite ingeniū fouet, alleuat, auget honore  
Humiq̄ sternit impiam superbiam.  
Eia Deum cantate, Deo persoluite grates.  
Grato benignum canite patrem barbito.  
Qui cælum obnubit tenebris, terrā rigat imbre  
Montesq̄ læto uestit altos gramine:  
Qui pecudum genti larga dat pabula dextra,  
Coruoq̄ uictum seroganti sufficit.  
Quem neq̄ magnanimū delectat robur equo-  
Nec uis ferocis aut lacertus militis: (rum,  
Sed pietas animi simplex, & in illius una  
Quæ spem salutis collocet clementia.  
Eia, Dei laudes Solymææ pangite turre:  
Benignitatem mons Sionis prædica.  
Qui portarū aditus claustris firmavit ahenis,  
Ciuesq̄ cunctis commodis auxit tuos:  
Qui te pace beat læta, & defendit ab hoste:  
Et messe haurit tritici campos tegit.  
Cuius ad imperium fundit sua munera tellus:  
Natura cuius prompta paret iussibus:  
Qui niibus cellos operit, ceu uellere, mōtes:  
Densas pruinas cineris instar deiicit.  
Et glacie lapsus solidarum frenat aquarum:  
Cuius rigorem quis feret mortalium?  
Quum libuit, molles glacies tabescit in undas,  
Aspirat aura mitior, riuī fluunt.  
Ostenditq̄ suam per signa illustria mentem:  
Legesq̄ Abrami tradidit nepotibus.  
Non ita se populis alijs monstrauit amicū,  
Qui scita legum nesciunt cælestium.

PSAL. CXLVIII. *Laudate Dominum  
de celis, &c.* *Carm. gen. 10.*

**L**audate Dominum cælitum  
Chori beati, qui procul  
Contagio mortalium  
Templa ætheris tuemini.

Laudate Dominum, quos sibi  
Adesse iussit Angelos:  
Laudate Dominum exercitus  
Parère prompti iussibus.

Laudate Dominum, qui diem  
Sol, luna noctem illuminas.  
Laudate Dominum lucidis  
Stellæ decoræ flammulis.

Laudate eum rotatiles  
Tot orbium compagines,  
Et unda longè celsior  
Campis nitentis aëris.

Huic cuncta laudes dicite,  
Numenq; cuncta pangite  
Quòd cuncta nutu condidit,  
Et cuncta nutu sustinet:

Fixitq; firmo cardine,  
Ne ui senectæ corruant:  
Certisq; uinxit legibus,  
Quas transgredi non audeant.

Laudate Dominum sub specus  
Terræ dracones abditì.  
Et uasta cete, quæ sinus  
Ponti repostos finditis.

*Ignes,*

Ignes, niues, & grandines,  
 Vaporq; & auræ spiritus,  
 Ad iussa Domini mobiles  
 Circumrotantes turbines.  
 Colles feraces, & feri  
 Montes, & omnes arbores,  
 Seu montibus rigescitis:  
 Seu cultibus mansuescitis:  
 Mites feræq; bestiaë,  
 Humiq; lentè reptiles,  
 Et quæ liquentes aëris  
 Campos uolando carpitis:  
 Reges & orbis præfides,  
 Et nationes liberaë,  
 Et pauperi plebeculæ  
 Qui ius ab alto dicitis:  
 Et uos iuuenta florea  
 Lati puelli & uirgines,  
 Senesq; uitæ in ultimo  
 Iamiam exituri limine,  
 Laudate Dominum: numini  
 Sit eius uni gloria,  
 Vnumq; noscat omnium  
 Cælum solumq; principem.  
 Hunc omne in æuum laudibus  
 Propago tollat Ifaci:  
 Sibi dicatam qui bonis  
 Gentem beauit omnibus.

PSAL. CXLIX. Cantate Domino can-  
 ticum nouum, &c.

Carm. gen. 13.

S iij

Cantate Domino canticum  
 Nouum: sonet laus illius  
 Cœtus per omnes, qui sacris  
 Non se profanis polluunt.  
 Oblectet Isaci genus  
 Auctore se suo: suo  
 Regi Sionis arduæ  
 Congratulentur filiæ:  
 Nomen celebrent illius  
 Lætis choris & tympanis:  
 Eiusq; laudes accinant  
 Blandè canoro pectini.  
 Gentem bonus parens suam  
 Amore sancto amplectitur,  
 Mitèmq; mansuetudinem  
 Firmat salute immobili.  
 Cœtus piorum ut gestiant  
 Foris parata splendido,  
 Domiq; secum clanculum  
 Lætentur in cubilibus.  
 In ore, rerum præsidis  
 Laus continenter personet:  
 Vtrinq; acui in dexteris  
 Vibrentur enses uindices.  
 In se ferarum ut gentium  
 Crudelitatem uindicerent:  
 Et in futurum iras, minas,  
 Superbiamq; comprimant.  
 Reges suorum ut hostium  
 Arctis catenis alligent,  
 Et ferreis coërceant

Vinclis

Vinclis feroces principes.  
 Pœnas secundum cœlitus  
 Præscripta ab ijs ut exigant,  
 Et laus piorum peruolet  
 Omnes per orbis cardines.

PSAL. CL. *Laudate Dominum in sanctis  
 eius, &c.* Carm. gen. 13.

**L**audate Dominum, lucidum  
 Templum colentem siderum,  
 Qui vi suæ potentæ  
 Firmavit orbis cardines.

Laudate Dominum fortiter,  
 Vbiq; gestis inclytum.  
 Laudate magnitudinem  
 Captum supra mortaliū.

Laudate Dominum bellicæ  
 Claris tubæ clangoribus:  
 Laudate Dominum nablijs,  
 Lyrisq; blandè garrulis.

Laudate Dominum tympanis,  
 Choriq; festi cantibus:  
 Laudate Dominum fidibus, &  
 Sonore dulci tibiæ.

Laudate eum tinnitibus  
 Lætis canori cymbali.  
 Hæc cuncta laudent quæ trahunt  
 Vitalis auræ spiritum.

S iij